

VII. De hoc Ludovico inter alia refert Amodius de Gestis Regum Francorum lib. 5. cap. 9. Idemque constituit Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem, & cum eo strenua Monachos per omnia vita, qui per omnia Monachorum euntes redeuntesque Monasteria, uniformem traderent cunctis Monasteriis (tam viris quam Sanctimonialibus foeminis) vivendi secundum Regulam S. Benedicti incommutabilem morem.

Ecce dem pietatis zelo anno quarto sui imperii idem Imperator, Aquiligrani in Palatio cum pluribus Monachis conventum faciens ait Leo Ostiensis Monachus Benedictinus in Chronico Cassinensi lib. 1. cap. 16. utilissima nostri Ordinis observatio septuaginta duo generalia Capitula constituit Deinde subjicit de his Capitulis dictus auctor: Quae omnia apud nos perinde ferè ac Regula S. Benedicti observantur.

Extant hæc Capitula apud Labeum tom. 7. Conciliorum ad annum 817. & apud Haesterum ad calcem Disquisitionum Monasticarum eruditius notis illustrata.

IX. Uterius ad promovendam Monasteriorum reformationem mittebant Imperatores suos Legatos, quos Missores dicebant, qui Monasteria adirent; quæque esset Monachorum vita & conversatio diligenter inspicerent: quem admodum in Capitularibus Regum Francorum videmus, atque capitulare quintum anni 806. cap. 4. habet: Ut prædicti Missores per singulas civitates... diligenter inquirant de conversatione singulorum, vel quomodo emendatū habeant, quod iussimus de eorum lectione, & cantu, ceterisque disciplinis & Ecclesiasticæ Regulæ pertinentibus.

Hæc Principum auctoritas non minor est hodie quam olim fuit, nec minus etiam hodie necessaria, ut reformatio executionem sortiatur.

X. Parlamentum in hoc Francia Regno ait Rebuffus loco citato concessit & compellit Episcopum, ut creet Vicarios generales certos Consiliarios clericos, qui faciunt statuta & alia ad reformationem pertinentia, ut videtis, sapius, inquit, servari in hoc Senatu.

XI. Testatur quoque Joannes Toarnetius in sua collectione arrestorum Litt. A. art. 9. quod incidente questione & materia reformationis, Senatus Regius consuevit ad hoc deputare unum de consiliariis suis, vocatus seu adjunctis uno vel duobus ejusdem Ordinis Religiosis, qui subinde per ipsam curiam nominantur; subinde vero eorum electionem ipsi consiliario deputato committit.

XII. Anno 1513. 18. Novemb. evocatus ad curiam Regiam Provincialis PP. Prædicatorum Provinciae Franciae cui insinuatis arrestis curia super reformatione Prioratus Pisciaci eidem injunctum fuit ab eadem curia, dicta reformationi diligentissime incumbat, eamque ad hunc usque ulla dissimulatione aut fictione perficiat, quod nisi faciat, curia providebit; utque efficacius aut convenientius reformatione exequi valeat, ipsa quoque reformatio plenior sortiatur effectum, curia unum de suis consiliariis adjunxit; qui secum accipiat unum de clericis camerae computuum, cui exhibeantur computus temporalium ipsius Prioratus. Ita refertur à Pithæo tom. 2. Libert. Eccl. Gallic. cap. 34. art. 11. Et rursus (ut art. 12. dicitur) 20. Decemb. 1520. eidem Provinciae li per curiam Regiam mandatum fuit, ut indilate ad dicti Monasterii reformationem realiter procedat, eamque indilate perficiat, & de ejus perfectione curiam informet ante festum Purificationis proximum; utque ad executionem ejusdem reformationis viriliter pergat, ipsa quoque Religiosas dicti Prioratus ad ejusdem observationem modo ac formam in arresto Curiae expressis compellat; deputans dicta Curia unum de suis Consiliariis, qui eidem reformationi assistat, ac manum adjutricem concedat.

XIII. Item eodem anno 1520. injunctum fuit per arrestum Parlamenti Tholosani Archiepiscopo Tholosano reformare Conventum PP. Augustinianorum dictæ Civitatis Tholosanæ, in eum finem ipsi adjungendo Inquisitorem fidei, Guardianum conventus Minoritarum extra muros dictæ civitatis, & Priorem carmelitarum ejusdem civitatis deputans idem Parlamentum, duos consiliarios, qui ipsi Archiepiscopo ejusve officialibus in facienda reformatio-

ne assistant; injungendo Officialiis & Magistratui Tholosanis portigendi manum adjutricem pro executione reformationis.

Similiter injunctum fuit Priori S. Martini in Campis, ut titulo Vicariatus sibi per Abbatem Cluniacensem dati, procederet ad reformationem Collegii Cluniacensis in civitate Parisiensi, ad vocatis sibi in consilium Abbate S. Victoris, Priore Caestinatorum, & Vicario S. Germani, conformiter ad arresta antehac data, adjuncto uno Consiliario. Ita per Curiam resolutum 1529.

XIV. Et anno 1532. cum Episcopus Silvanectensis exposuisset, se non esse sufficientem, ut reformationem ejusdem Conventus Ordinis S. Augustini sibi à Curia injunctam perficiat, dictum fuit, ut aliquos ex Consiliariis Regiis suos pro facienda reformatione Vicarios constitueret, qui tum reformationem in ea qualitate præscriptam, auctoritate Regia observari juberent art. 20.

Quin interdum injunctum fuit Episcopo, ut aliquibus Religiosis per Curiam designatis committat potestatem reformandi Monasterium in capite & in membris art. 21.

XV. Et anno 1543. curia Regia informata de dissolutione ejusdem conventus PP. Augustinianorum, injunxit Generali Ordinis, ejusve commissario residendi ultra Montes, ut Vicarios suos designet duos ejusdem Ordinis notabiles & reformatos Religiosos, qui secum adjunctis 4. aliorum Ordinum Religiosis in Arresto designatis, aut saltem duobus ex illis, reliquis impeditis, ad integram illius Monasterii reformationem procedant; atque statuunt & ordinem, quæ eum in finem necessaria videbuntur; adjunctis pro faciliore executione duobus consiliariis Regiis. Ibidem art. 25.

XVI. Plura similia Parlamentorum arresta, ac Regia mandata super reformatione, ejusque forma, nec non executione & confirmatione reformationis referuntur tam in citato tomo Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 34. tum à Joanne Tournetio loco supra indicato; quibus patebit, non minorem nunc esse Principum ac Magistratum curam & auctoritatem circa negotium reformationis, quam olim fuerit. Quæ Principum cura in reformationis negotio promovendo menti & desiderio Synodi Tridentinæ planè consonat, quæ hortatur Principes, atque in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut Episcopi & alii Prælati in reformationis executione suum auxilium & auctoritatem impendant, quoties requisiti fuerint; Sess. 25. cap. ult. De regulari.

XVII. Intelligimus quoque ex hæcenus indicatis Parlamentorum arrestis, quod juxta hodiernum stylium, ipsa reformatio per appellationem etiam tanquam ab abusu, nequaquam suspendatur. Passim enim in Arrestis curiarum in negotio reformationis additur expressa clausula, quod reformatio suum sortietur effectum, non obstante oppositæ aut appellatione quacunque.

XVIII. Patet insuper, quod Generales Ordinum Romæ residentes, ad reformationem seu visitationem Monasteriorum in Gallia procedere nequeant, nisi de consensu Regis; neque Vicarios, nisi Regnicolas deputare queant, ut videtur est tomo. 2. Libert. Eccl. Gall. cap. 33. ac signanter art. 45. & cap. 34. art. 31. 36. 39. Eadem est & Belgii nostri notoria praxis.

XIX. Notat quoque Tournetius, quod commissarii super reformatione Reformatores alios subdelegare nequeant; atque ita ex Joanne Gallo quæst. 18. judicatum refert; quod etiam juri communi conforme est: eo quod in hac delegatione præsumatur electa industria personarum; quæ sane nec mediocri in hoc negotio requiritur.

CAPUT III.

De Congregationibus & Capitulis Regularium.

- 1. Multis seculis ignota fuit plurimum Monasteriorum in unum corpus adunatio.
2. Seculo IX. aliqua illius species fuit, sed evanuit.
3. Prima Congregatio fuit Cluniacensis. exoritur seculo X.
4. Quamopere aucta sit hæc Congregatio.

5. Mo.

- 5. Monasterium Cluniacense hujus Congregationis Capiti præest tanquam Abbas Commendatarius Cardinalis Bullonus, cuius auctoritate prædicit Breviarium reformatum Cluniacense.
6. Quædam circa hoc Breviarium observantia.
7. Secula sequentibus ad exemplum hujus Congregationis, plures instituta sunt.
8. Exordium Congregationis Burgesiensis, cui & Monasteria belgica nonnulla subiecta sunt.
9. Hæc Congregatio à reformatione originem sumpsit.
10. Describitur origo Congregationis Vindesemensis Canoniorum Regularium.
11. Unde nomen accepit.
12. In humilitate & paupertate fundata fuit, & multa Belgica Monasteria complectitur.
13. Ordines Mendicantes quæ ratione dicitur quædam Congregationes.
14. Plurimum Monasteriorum in unam Congregationem unio servata ad reformationem.
15. Ordo Cisterciensis instituit Capitulum generale.
16. Capitula generalia ad reformationem sunt opportuna, eaque celebrari voluit Concilium Lateranense.
17. Nomine priorum, qui Capitulis intervenire debent, qui intelligantur.
18. Decretum Concilii Lateranensis scopus innovatum.
19. Decretum Concilii Tridentini de redigendis Monasteriis in Congregationes.
20. In Ordinibus Mendicantibus duplicis generis sunt Capitula communia.
21. Quoties hæc Capitula instituta sunt.
22. Præter Capitula generalia habenda etiam Capitula quotidia.
23. Hæc Capitula haberi solent à Canonice & Monachis post recitatam Primam.
24. In his Capitulis legebatur Martyrologium.
25. Deinde Versus Preciorum subsequentes precibus, & quare.
26. Sequatur lectio Regule, quæ hodie in electione. Brevi ad finem Prima recitari solita respondet.
27. Versus recitatio & sequentia propriè ad Primam non pertinent.
28. Regula in Capitulo etiam exponebatur, quod & juri communi conforme est.
29. Quomodo se habere debeant Monachi tempore lectionis Regule.
30. Capitula hæc præcipue pro defectuum ac abusuum correctione & reformatione habenda.

I. Per septem facile secula ignota fuit plurimum Monasteriorum in unam congregationem seu corpus adunatio, quæ unum ac eundem Præfectum sive Abbatem generalem recognosceret; sed singula Monasteria ab invicem erant omnino discretæ ac separatæ, proprios suos habentia Abbates & Rectores; idque sub eadem, vel sub diversa Regula; nullatenus sibi mutuo aut uni subiecta.

II. Primum seculo nono fuit Benedictus Abbas Anianensis cui Ludovicus Pius plura Monasteria sub Regula S. Benedicti militantiæ regenda commisit; quibus omnibus ipse loco Abbatis Primarii præestaret; quæ hic prima plurimum Monasteriorum adunatio seu unio vel congregatio species enituit; sed quæ cito evanuit. Mortuo enim Benedicto Aniano: eadem illa Monasteria, quæ sub ipso tanquam primario Abbate aliquoties quæ unita fuerant, rursus translata sunt ad proprios Rectores, qui hæc Benedictinæ congregationis veluti primam ideam violarunt, & ad diversos ritus iterum redacti sunt, ut observat Mabillonius in præfatione ad sæculi quarti Benedictinorum part. 1. num. 26.

III. At sæculo decimo fundato per Guilelmum Arvenniæ comitem Monasterio cluniacensi in Burgundia, S. Odo, secundus ejusdem Monasterii Abbas, reformationem strenuam Ordinis Benedictini aggressus, plurima Monasteria cluniacensi Monasterio adunavit, ut unum corpus constituerent; atque ritus & disciplinam cluniacensis Monasterii sequerentur; ipsamque cluniacensem Abbatem pro suo Primario Abbate recognoscerent.

De hoc Odone scribit Glaber Rodolphus lib. 3. hist. cap. 3. Hic in tantum hujus instituti [Benedictini] propagator extitit, ut à Beneventana provincia, quæque habebantur in Italia, & in Gallis usque ad Oceanum mare potiora Monasteria illius ditioni gratularentur esse subiecta.

Illam à studio reformationis, & Ordinis propagatione mitificè de prædica Petrus Venerabilis Abbas cluniacensis lib. 6. epist. 17. unà describens miserandum Monasticæ disciplinae collapsionem tempore Odonis; adeo ut dicat: In cunctis pene Europæ nostræ finibus, de Monacho, præter consuetudinem & habitum nihil. Institit ille Divino operi ferè tunc

solus, & Cluniaci prima faciens fun damenta, post huc ille lucque Religionis femina. quamdiu advixit, ferere non cessavit.

IV. Reformationem atque Monasteriorum sub Cluniacensi adunationem Odonis successores continuo promoverunt, ac propagarunt, in tantum, ut infinita penè Monasteria sensim huic Congregationi se univerint, & Abbati cluniacensi sub hoc titulo: Catalogus Abbatiarum, Prioratuum, & Decanorum, mediæ & immediatè Abbatia seu Monasterio Cluniacensi subiectorum. In hac quoque Bibliotheca referuntur Pontificia ac Regia diplomata, quibus hæc congregatio variis temporalibus firmata, ac privilegiis & rebus temporalibus aucta fuit; ac insuper varia Statuta quæ in variis hujus congregationis seu ordinis generalibus conventibus edita fuere.

V. Hæc prima videtur fuisse sub Regula S. Benedicti instituta congregatio, sive plurimum Monasteriorum sub uno Abbate cluniacensi adunatio; quæ hodie dicitur congregatio, vel etiam Ordo cluniacensis; cui modo tanquam Abbas commendatarius præest Eminentissimus cardinalis Bullonius, sub hujus nomine & approbatione anno 1683. prodiit novum & reformatum Breviarium Monasticum ad usum sacri Ordinis Cluniacensis; in quo Breviario præcipue observatum fuit, ut officium Divinum ad Regulam S. Benedicti, & veterem ac probatum Ecclesiæ morem, ac Patrum mentem diceretur.

VI. Atque hinc nonnulla à Breviatio Romano ac ritu hodierno, etiam Benedictinorum, diversa occurrunt; ut v.g. quod in officio tridui ante Pascha canitur Psalmus, Venite & Hymnus, Itè vericulus, Gloria Patri; quod tempore Adventus & Quadragesimæ cantetur, Te Deum laudamus, quorum hæc sola ratio est, quia illa S. Benedicti Regula consona sunt.

Insuper ea Psalmorum servata distributio, ut singulis hebdomadibus omnes recitentur: in quo non tantū mens S. Benedicti servata: sed & pristinus Ecclesiæ more retentus est; hac ratione psalterium Scripturæ Sacræ quasi compendium, clericis & Monachis familiare redderetur; quod ut etiam memoriter scirent, jam pridem Synodus Nicæna II. Can. 2. desideravit.

Hoc insuper observatum, ut omnia ferè, tum in Responsoris, Antiphonis, Versibus, aliisque ex Scriptura Sacra sint desumpta; quod in Ecclesiâ jam pridem usitatum fuisse constat; adeo ut in concilio colonienti I. Cap. 6. hæc legatur: cum olim à Sanctissimis patribus institutum fuit, ut sola Scriptura Sacra in Ecclesiâ recitarentur nescimus quâ incuria acciderit, ut in eorum locum successerint alia, cum his neitiquam comparanda, &c.

Cura quoque fuit, ut per annum tota Scriptura legeretur, & quando Scriptura occurrens in choro legi non posset, legeretur in refectorio.

Denique studium sedulum impensum fuit, ne quid falsi aut de falsitate suspecti in Sanctorum festis adferretur, quod Ecclesiæ menti conforme esse, & divini Officii majestati congruum alibi ostendimus, cætera in compilatione hujus Breviarii observata breviter in præfatione exponunt.

VII. Post hæc cluniacensem congregationem, plures sub Regula S. Benedicti exortæ sunt congregationes sive Ordines, quorum Monasterium in unum corpus adunata uni supremo Moderatori subjiuntur; ut camaldulensis auctori S. Romualdo, Vallis Umbrosæ auctori S. Joanne Gualterio, cisterciensis à S. Roberto Abbate Molifinensi primam institutus, à Stephano ejus successore auctus ac demum à S. Bernardo Abbate clarevalleensi mirum in modum propagatus. Post hæc alia plurima sequentibus sæculis exortæ fuere; tam sub S. Benedicti, quam Basilii, Augustini & Francisci Regulis militantes congregationes, quas post Miræum in Originibus Monasticis recenset Ascarius Tamburinus De Jure Abbatum Tomo. 2. quæst. 24.

Inter hæc sub S. Benedicti ac Augustini regula militantes congregationes, duæ sunt admodum famosæ & per Germaniam ac Belgium latè diffusæ; nimirum una Benedictinori, quæ dicitur Burgesiensis, canonicorum Regularium altera dicta Vindesemensis, Z 4 VIII. Bure.



VIII. Bursfeldensis demum seculo XV. initium sumpsit, nimirum post finitam Synodum Constantiensem anno circiter 1420. a qua Synodo Joannes Rodius Abbas Cœnobii S. Mathie apud Treveros visitator generalis per Germaniam constitutus, seipsum in primis ac Monasterium suum reformavit, & Decretorum à se editorum confirmationem à Romano Pontifice impetravit, uti refert Aubertus Miræus in Originibus Monasticis Lib. 2. cap. 25. originē & progressum hujus Congregationis his verbis exponens: Inter cœtera verò Ordinis hujus Monasteria Bursfeldia, pauperculum Saxoniæ Cœnobium, Reformationis Decreta primū suscepit anno millesimo quadringentesimo trigesimo septimo & in Rembansense, aliaque vicina aliquot Saxoniæ Monasteria derivavit. Mortuo deinde Joanne Rodio, Joannes Hagenst, Abbas Bursfeldensis, qui in Monasteriis aliquot veterem disciplinam jam instaurarat, agente Jacobo Trevirensi Archiepiscopo successor illud est. Sed cum nollet is pauperculum Bursfeldense suum Cœnobium relinquere, alius in Rodii locum ut generalis Reformator est successus, sed exiguo admodum fructu. Itaque temporibus istis in Germaniam venit Nicolaus Cusanus, Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legatus, qui Joannem Hagenst pietatis opinione celebrem ad se evocatum generalem Ordinis Reformatorem pronuntiavit. Quo factum est, ut idem Cusanus Conventum seu capitulum, ut vocant antiquum pro conservanda Reformationis institueret, Præsidentis seu Præsidi dioniciū de sancti Mathie Trevirensis cœnobio Bursfeldiam transferret omniaque Reformationis decreta à Romano Pontifice curare approbata.

IX. Deinde cap. 26. catalogum Monasteriorum huic congregationi variis temporibus unitorum subjicit, inter quæ plura è Belgicis sunt; una notans annum quo singula congregationi accesserunt.

Hic observa, congregationē hanc à reformatione sumptisse exordium; sive Monasteria reformationē desiderantia in unam congregationem coaluisse. Unde de hac nascente congregatione loquens Tertremius ait: Hæc est quæ carnem castigat, vitia fugat, abinentiam colit, pauperes pro posse largiter sustentat. O Sancta Monachorum unio, in qua charitas imperat, humilis subjectio obtemperat, obedientia militat, castitas sancta triumphat, oratio vigilat, perseverantia bonorum operum fructificat. Hæc Tertremius De viris illustribus Ord. S. Benedicti ap. 12.

X. Seculo 4. fuit in Oppido Daventriæ quidam Gerardus vulgo De Groot. Hic Zelo religionis excitatus, conventum clericorum Daventriæ collegit, inter quos erat Florentius Radivini Daventriæ Episcopi Vicarius, cujus suasionibus, indem clerici probante Gerardo vitam communem, inter se statuerunt, quam postea summa cum laude non modico tempore tenuerunt; quin & considerantes communitatem vitam esse viam ad eam vitam perfectionem adsequendam, quæ vigeat in primitiva Ecclesia, quæque summopere laudatur in Actis Apostolorum, illud vitam communem institutum perpetuo tenere sub obedientia, votorum, communi decreto firmaverunt, victum, vestitum, & cætera necessaria labore manuum in communi procurantes.

Hæc ex Joanne Buschio in chronico capituli windesemensis refert Gabriel Pennotus in historia canonicorum Regularium lib. 1. cap. 63. qui ibidem subdit: cum autem præfatus vir Venerabilis Gerardus animadvertisset, illud vitam genus, quod sub nullo instituto regulari à Sede Apostolica probato esset fundatum, diu subsistere non posse, maxime quod in seipsum sibi haberet nonnullos ex Ordine Mendicantiū, morti proximus Fratribus suis persuasit, ut Ordinem canonicorum Regularium assumerent: Quia, in quiebat, non multum à vestra jam devota conversatione videtur discrepare, nisi quod in illo professi servant, ex professione & voto, vos sine voto servatis charitatem, & tria vota substantialia.

XI. Defuncto Gerardo, Florentius unā cum aliis hujus congregationis Fratribus consiliū ipsius Gerardi de consti-

tuendo Monasterio & assumendo Ordine canonicorum Regularium sedulo cogitare ac deliberare cœperunt; ac tandem omnibus expensis locum opportunum prope Svvollam, Windesem nuncupatum, nacti, ibidem de consensu Episcopi Trajectensis anno 1386. monasterium edificare cœperunt; quod adjuvantibus collatâ pecuniâ viris piis, anno sequenti absolutum fuit, atque mox in eodem Monasterio sex de Fratribus Daventriensibus sub Gerardo Magno pie instituti, Ordinem & Regulam canonicorum Regularium professi sunt: atque in summa paupertate ac humilitate vitam Regularem instituentes plura sensim Monasteria ipsi reformationis causâ, unita fuere; que in unam Congregationē seu Capitulum, quod à loco fundati primi Monasterii, Windesemense nuncupatur, coaluerunt.

XII. Unde recte notavit Pennotus, hujus amplissima congregationis exordia humilia quidem fuisse secundum seculum, sed aita secundum Deum, in humilitate, & paupertate profunda, & asperitate fundata.

Catalogum Monasteriorum, quorum plura in Belgio sita sunt, huic congregationi sive capitulo unitorum exhibet Miræus in Originibus canonicorum Regularium, cap. 13.

XIII. Ordines Mendicantes alique post illos instituti, in unū corpus sub uno capite coadunati sunt, & tot dici possunt congregationes seu corpora, quot Ordines; licet ipsi tamē in plures particulares quasi congregationes seu capitula soleant per Provincias dividijta tamen, ut hæc congregationes seu capitula simul in unâ generali congregatione sive capitulo sub uno Generali Ministro conveniant.

XIV. Porro unio illa Monasteriorum in unum corpus seu congregationem ad disciplinam Monasticam, aut regimen Monasteriorum ritè ordinandum & conservandum, vel collapsam restaurandum maxime conveniens & opportunum apparuit; eo præcipue titulo, quod frequentius in unum convenientes Monasteriorum Superiores, communi consilio deliberare & communi operâ ac studio al laborare in bonum ipsius Religionis melius & efficacius valeant.

XV. Unde cisterciensis congregatio seu Ordo in sua primigenia constitutione (quæ vulgò dicitur charta caritatis) probatâ ab Eugenio III. in constitutione quæ incipit: Sacrosancta Romana 2. in Bull. R. [cui ipsa charta caritatis subjicitur] ita ut, ut omnes Abbates de Ordine nostro, singulis annis ad generale capitulum cisterciense omni postpositâ occasione conveniant, illis solis exceptis quos corporis in hincitas tenuerit, qui tamen idoneum nuntium delegare debeant, per quem n. cessitas remotionis eorum valeat capitulo nuntiari. Et illis item exceptis, qui in remotioribus partibus habitantes eo termino venient, qui eis fuerit in capitulo constitutus. Quod si quis alia, quacumque occasione quandoque remanere à nostro generali capitulo præsumpsit, pro culpa veniam petat, nec tunc gravi animadversione transeat.

Hujus capituli generalis meminit Bernardus episcopus 28. ad Petrum Abbatem cluniacensem scribens: Decretum est mihi ultra non egredi Monasterio, nisi ad Conventum Abbatum apud cistercium.

Refert Matthæus Pariliensis ad annum 1151. In Capitulo cisterciensi statutum est, ne de cætero aliqui novam construerent Abbatiam, quia numerus Abbatiarum illius Ordinis usque ad quingentas excrevit.

Et in Cap. NUPER. De Decimis fit mentio constitutionis factæ per Abbates Ordinis in generali Concilio congregatos, ne de cætero Fratres ipsius Ordinis emanant possessiones, de quibus decimæ Ecclesiis debeantur &c.

XVI. Cum verò deprehenderetur, hæc Capitula in Ordine cisterciensi instituta, & annuatim celebrari solita, admodum convenientia esse disciplinæ Monasticæ sustinenda, aut collapsæ rursus restauranda, conciliū Lateranense IV. sub Innocentio II. desiderans, disciplinam in multis monasteriis & Ordinibus non parum collapsam restaurari & primævam Regulam reformari, statuit: Ut in singulis regnis, sive provinciis fiat de triennio in triennium (salvo jure Diocæsanorum Pontificum) commune capitulum Abbatum

batū atque Priori, Abbates proprios non habentibus, qui universi conveniant præpeditiohem canonicam non habentes apud unum de Monasteriis ad hoc aptum.

Additque deinde concilium: Hoc ipsum Regulares Canonicos secundum Ordinem suum volumus & præcipimus observari.

Et quia cistercienses præ cæteris erant in celebrandis hæc capitulis magis experti, ordinat concilium: Advocent autem in hujusmodi novitatis exordiis duos cisterciensis Ordinis Abbates ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum, cum sint in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati.

XVII. Nominè Priorum in Decreto concilii Lateranensis videntur intelligi omnes illi Priores, qui curam animarum in Monasterio sustinent; nec alium in eodem Monasterio Superiores in regimine immediato Monasterii agnoscunt; quales sunt Priores Conventuales; de quibus supra tit. 30. cap. 5.

XVIII. Hanc concilii Lateranensis constitutionem plures Pontifices ac inter alios Benedictus XII. in constitutionibus pro reformatione Benedictinorum, & canonicorum Regularium, & Clemens V. in Clem. NE IN AGRO §. fin De Statu Monach. expresse innotavit, & observari mandavit.

XIX. Demum Synodus Tridentina reformationem non obstante prædictâ concilii Lateranensis Ordinatione, ejusque iterata innovatione multa esse Monasteria admodum deformata, & de quorum reformatione nulla spes superesse videretur, quamdiu ab Episcoporum jurisdictione & visitatione essent exempta, voluit, ut Monasteria omnia quæ generalibus capitulis aut Episcopis non subsunt, nec sub os habent Ordinarios regulares Visitatores, sed sub im-

mediata Sedis Apostolicæ protectione ac directione regi consueverunt, teneantur infra annum à fine præsentis concilii, & deinde quolibet triennio sese in congregationes redigere, juxta formam constitutionis Innocentii III. in concilio generali, quæ incipit, In singulis; ibique certas regulares personas deputare, quæ de modo & ordine, de prædictis congregationibus erigendis, ac statutis in eis exequendis deliberent & statuant: Quod si in his negligentibus fuerint, licet Metropolitano, in cujus Provincia prædicta Monasteria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ legato, eos pro prædictis causis convocare. Quod si intra limites unius provincie non sit sufficiens talium Monasteriorum numerus ad erigendam congregationem possint duarum vel trium provinciarum Monasteria unam facere congregationem. Sess. 25. cap. 8. De Reform.

XX. Hæc capitula sive comitia in Ordinibus Mendicantibus, aliisque recentè institutis sub uno Præsidente generali, solent esse duplicis generalis: alia nimirum generalia, ad quæ omnium Provinciarum Præsidi & Deputati conveniunt, atque universum Ordinem representant; & in quibus totius Ordinis generalis Præsides eligi consuevit.

Alia verò Provincialia, ita nuncupata, quia ad illa conveniunt soli Monasteriorum Præsidi & Deputati, unius Provincie. Ordinem enim Mendicantium aliorumque sub eadem forma viventium Monasteria, dividuntur in varias Provincias; atque unicuique Provincie, unus præficitur, dicitur Provincialis, tanquam totius Provincie moderator.

In Ordine autem Benedictinorum & canonicorum Regularium, quorum Monasteria ex prima institutione sunt magis à se mutuo distincta, tantum habetur unius generis capitulum generale, nimirum omnium Monasteriorum singulatum congregationum, in quas tandem Monasteria illa se redegerunt & univerunt.

XXI. Qua forma & ritu hæc concilia sint celebranda, ex singulorum Ordinum Constitutionibus præcipue peti debet. Hoc unum monet Concilium Lateranense, & novissimè Tridentinum, ut saltem de triennio in triennium commune capitulum habeatur, id est, ut ultra triennium non cesserat; nequam improbanus Ordinum illorum constitutiones, aut consuetudines, frequentiorum conciliorum illorum celebrationem præscribentes.

Unde cum dubitatum esset, an ob hæc Decretum concilii Lateranensis & Tridentini aliquid esset immutandum in illis Religionibus vel Congregationibus Monachorum, in quibus Capitula celebrantur singulis annis, & Præsides eliguntur annales, responsum fuit à S. Congregatione, nihil esse immutandum; imo retinendos esse Præsides annales, ne si triennales fierent, etiam forsitan capitula non amplius singulis annis haberentur; quæ fieri possimum solent pro electione Præsidis; & tamen, inquit, quis neget frequentem Capitulum Congregationem prodesse ad regularem disciplinam vel conservandam, vel ubi collapsa est, reparandam: Apud Fagnanum ad Cap. IN SINGULIS. De Statu Monach. num. 12.

XXII. Præter Capitula generalia & provincialia, jam pridem usitata fuisse tam apud Monachos, quam Canonicos in communi viventes Capitula quotidiana tum ex conciliis, tum Monachorum Regulis & Constitutionibus notissimum est, uti ex mox dicendis patebit.

XXIII. Hæc verò Capitula haberi solebant post Primam absolutam, priusquam ad sua opera Fratres diverterent. Unde in Constitutionibus Congregationis sive Capituli Bursfeldensis Dist. 1. Cap. 4. legitur: Omni tempore, Primam regulam finita, itur ad locum capitulare.

XXIV. In hoc Capitulo primò legi consueverat Martyrologium. In Synodo Aquisgranensi anno 817. Can. 69. Et ad Capitulum primus Martyrologium legatur, & Radulphus De Rivo Decanus Tigrensis enumerans quæ sita tempore, id est, sæculo 15. in Capitulo, quod fit post primam legebantur, dicit: Primò, memoria Sanctorum in recitatione Martyrologii. De canonum observantia propos. 14.

XXV. Sequebatur deinde, eodem Radulpho teste, versus Pretiosa cum capitulo Sancta Maria. Quod & citatus canon Aquisgranensis significat, ubi post allegata verba subiungit: Et dicitur VERSUS.

Post hæc, uti scribit Radulphus, & ante ipsum Amalarius Fortunatus, quia tunc ad labores diurnos preparari debemus, adduntur preces congruentes, dicens ter, Deus in Adjutorium. Deinde ter Kyrie-eleison, Pater noster cum versu Respicere, & oratio Dirigere.

XXVI. Tandem sequebatur lectio Regule, uti in dicto canone Aquisgranensi præscribitur; & sæculo VIII. Monachi Faldenses supplicantes Carolo Marti liceat eis orationū & psalmodiarum modum tenere, quem Patres eorum habuerunt, inter olim usitata referunt: Manè quando in unum convenimus, CAPITULUM DE REGULA coram fratribus legebatur. Lib. 3. antiq. Fald. cap. 12.

Hæc quotidiana lectio Regule non dissonat à mente S. Benedicti, qui cap. 64. Regule, ait: Hanc autem Regulam sapientius volumus in Congregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excuset.

Ab hac lectione alicujus Capituli ex Regula, postmodum locus ipsius confectus, Capitulum dictus fuit, ut observat Haftenus Lib. 8. disquis. Monast. tract. 1. disq. 1. una observans, hanc lectionem Regule, respondere lectioni Brevi, quæ hodie juxta ritum Breviarii Romani dicitur in hæc Prima. Cumque diceretur olim sub finem confectus, sive post preces alias in Capitulo recitatas, facile intelligitur, antiquæ illius disciplinæ vestigium esse, quod etiam nunc hodie in rubrica Breviarii Romani præscribitur, hanc brevem lectionem dicendam ad absolutionem capituli.

XXVII. Obiter quoque hic observa, multique probat Haftenus, lectionem Martyrologii, versum pretiosa & reliqua quæ sequuntur in Breviario Romano post orationem Primam, consuetamque clausulam Benedicamus Domino, non esse propriè partem Primæ, sed recentè, capitulis quotidianis, præsertim apud Canonicos aboliis, per modum appendicis adjecta esse, uti etiam testatur Durandus lib. 5. divin. Off. cap. 5.

XXVIII. Nec tantum legebatur Regula in capitulo, sed ut eam, præcipue juniores intelligerent, à Superiore erat exponenda.

Unde Clemens V. in Clem. NE IN AGRO §. SANE De Statu Monach. ait: Regula quoque cum in capitulo legi

„ tur ab